V B J C
C.R. BIBLIOTHECA UNIVERSITATIS CRACOVIENSIS
kat.komp.
21971
III Mag. St. Dr. P

[illegible]tus.

Mazurkowic Valentini Joan: Monumentum debitae gratitudinis immortale.

PANEG. et VITAE
Polon. Fol.
№. 825.

MONVMENTVM
Debitæ Gratitudinis immortale,

Perillustri & Admodum Reuerendo Domino,

D. ALBERTO NOWIEYSKI,

I. V. DOCTORI.
CANONICO VARMIENSI.

Viro ob celsissimas animi ingeniјque dotes, vt in vita amores omnium; ita à morte desideria promerito, pro insigni, raro, Heroico.

DOMVI COLLEGII MINORIS INCLYTÆ VNIVERSITATIS CRAC:
Inter angustias accisorum redituum,

Munificẽtiss: fundationis præstito beneficio,
Officiosissimo plaudentis Suadæ obsequio.

EXCITATVM.
Et ad immortalem Magni Patroni, Amantissimiq; literarum literatorumq; Mœcenatis memoriam conseruandam:
LVCI PVBLICÆ

PER
M. VALENTINVM IOANNEM MAZVRKOWIC,
Eiusdem Col: Min: Professorem.

DEDICATVM.

Anno à Gratisiossimo Virginis Partu, 1665.

CRACOVIÆ,
Typis NOWODWORSCIANIS *In Officina Apud Heredes* STANISLAI LENCZEWSKI,
Anno Domini, 1665.

M.
I. XXII. 9

IN STEMMA ILLVSTRISSIMI PRÆSVLIS.



Quid ſibi vult duro CRVX Aurea iuncta metallo?
  Cur rutilum cingit Circulus iſte iubar?
His ſignat ſæclis in ferrum ſpontè refuſis,
  Aurea WYDZGANAM germina ferre Domum.
PRÆSVLEÆ ſignat Lucem pietatis amænam,
  Solari Lechiæ triſtia fata ſuæ.
Vtq; ſinus Soleæ radijs CRVCIS ecce refulget;
  Sic ab eâ fauſtos, ſæcla habitura, dies.

ALEXANDER de Stradomia STRADOMSKI,
Eloqu: & Philoſ. Studioſus.

BIBLIOTH. UNIV. JAGELLONICAE
21.971 III

Illustrisimo & Reuerendisimo Domino,
D. STEPHANO WYDZGA,
DEI, & APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA, Episcopo Varmiensi, & Sambiensi, &c. &c.

Dño Patrono & Mæcenati meo Amplissimo S. & P.

NEscit conscia gratitudinis æternæ eruditorum penna, posteaquam suorum Mæcenatum corpus, in quo magnus ille eorum habitator animus gloriosissimè hospitabatur, cuncta sternenti mortis violentiæ cessit in victimam; singularem etiam eorum, rarissimæ in se munificentiæ recordationem: iisdem illis, quibus adopertum est in cineribus, fauillisq; flebilibus sepelire JLLVSTRISSIME & REVERENDISSIME ANTISTES. Sæuiat licet inexorabilis ista Diua liuido morsu in ea omnia, quæ humano animo velut tenuissima velamenta, videt circumiecta: intercipiat tristi fato cuncta ista, quæ ad communem ruinam sors ipsa nascendi destinauit: conuoluat inopinato euentu, totum id, quidquid ex malè conuenienti pugnantium secum elementorum temperie coaluit: literatorum tamen validè sudat connititurq; industria, vt tantò ampliùs è tumulo, velut è circumfusis tenebris euoluat lucidum conspicuumq; virtutis suorum Patronorum fulgorem; nullisq; vltra angustis arctatum limitibus, gloriosæ æternitatis in domicilio collocet eminenti. Et verò possetne, sine grandi piaculo, Patronorum suorum benignitatem ingratâ obruêre reticentiâ? Si enim hoc munus illorum est hocq; officium, Laureatam magnorum Virorum virtutem in publicum Orbis theatrum, è gloriosis illis in quibus quiescunt ruderibus, pennato immortalis famæ efferre curru, præclaraq; vitæ eorum exempla è tenebris eruta obliuionis, auidæ talium repræsentare posteritati: quantò magis ea ipsis incumbit cura, in longissimas ætates suorum extendere memoriam Mæcenatum, quorum potissimùm beneficâ liberalitate sublimiùs eleuatæ suæ pennæ, felicibus ausis transcendunt vagos nubium tractus, & in ipso illo sereno immortalitatis conquiescunt. Blandiamur enim nobis quantùmcunq; volumus literati, de Stoico illo in sustinendis malis supercilio, si tamen longissimè ab affectatâ paupertatis recedentes ostentatione, pro candidissimæ sensu veritatis loqui voluerimus, cum omnium experientiâ sæculorum compellemur profiteri: quantùmuis viuidis cogitationibus assueta ingenia, nihil per se valitura, nisi accedat spiritus ille & anima benignitatis Patronorum, quæ discurrens per torpentes literatorum artus, iacentes languentesq; suas operas suo vigore animet, nec vnquam quiescere patiatur. Argumenta hîc nobis ad confirmandam veritatem anxiè non sunt colligenda, nec scrupulosè testes inquirendi: quandoquidem nos ipsi simulatq; ad hunc scopulum appulimus, hærentes in vado deprehensiq;, didicimus abundè; non facilè horrendum eruditionis perlustrari Pelagus; nisi adsit Pharos Mæcenatum largitatis lucidissimum lumen euibrans, quæ per implexas illas difficultatum ambages ægrè gradum promouentes, felicissimo dirigat euentu, & in optato tandem sistat portu. Hæsisset enim haud dubiè nostra mediocritas, tantò etiam magis per temporum iniquitatem inualescente in nos asperrimæ fluctu sortis: nisi JLLVSTRIS NOWIEYSCIVS opportunè proteruiam in nos irruentis compescuisset, & verè tanquam DEVS aliquis è machina, in hanc miseriarum nostrarum scenam semet intulisset. Exsoluimus immortale gratiarum actionis tributum inauditæ eius in nos profusioni, multòq; ipsi æquiùs, quam Neptuno illi Sospitatori aram in littore nostræ securitatis collocamus. Exosculamur rarissimam munificentiam, illiq; tanquam quietis nostræ restitutori, bonorum assertori, commodorum propagatori hoc debitæ gratitudinis in

nis in sacrario Musarum erigimus Monumentum. Habeat sibi excitatum istud Trophæum, Vir Maximus, non de victâ superatâq; nationum potentiâ, non de subiecta prostratâq; gentium magnitudine, non de opimis Vrbium, Arciumq; spolijs: sed de rebus afflictis literatarum mentium subleuatis. Fruatur famâ quam meruit, æternitate quam quæsiuit, nostrisq; perpetuis honoribus celebretur: quandoquidem nulla ei alia succrescere potest gratitudo. Quanquam quid loquor? nostrane vt vlla sit tam potens, solidaq; structura facundiæ? tam compactum eruditi sermonis opus? quod huic Monumento solui nesciam imponat coronidem, fastigiumq; superextruat duraturum? In sinu in gremio Magni alicuius Mæcenatis, tanquàm in latè patenti aliquo campo, Basis fundamentumq; Monumenti nostri collocandum est, vt longam stando ætatem ferre possit, vt nullis validis liuentium Æolorum concutiatur flabris, vt omnes malignitatis iniurias supergressum sublimi feriat sydera vertice, subiectam calcet Fortunam, & orbem in se corruentem. Quis autem ille nobis erit aut potior, aut prior, nisi tu ILLVSTRISSIME ANTISTES. Tua illa aurea pectoris ornamenta, sublimes ditissimi cordis diuitiæ, illud oris pondus indomitum, quo in possessionem omnium venis animorum; illa ad miraculum vsq; inclarescens, publicis in consilijs prudentia; illa alia quam in teipso circumfers, irradiata splendoribus Magnificentissima virtutum pompa, fulcrum nobis erit, quod quibuscunq; Pario de lapide factis anteferatur fulcimentis. Ad Tui Nominis splendidissimum exoriens iubar, si quæ demoliri volentium hoc Monumentum consurget audacia; frangetur: si quis se affundet caliginosæ noctis horror; illustrabitur: si quæ obstinata aliquorum inualescet proteruia; domabitur: si qui inuidiæ vehementes spirabunt venti; sopientur. Ita enim pari consortio suaue humanitatis Tuæ lumen, & vehemens Dignitatis Tuæ iubar in Te coniunguntur, vt non minùs liuidi in Tuo Vultu habeant, quod timere cogantur; quàm boni quo sua modestia erigatur. Suscipe proinde ILLVSTRISSIME PRÆSVL, exile istud Monumentum, quod ita Tuam facilitatem prensat; vt simul à Te implores patrocinium: ita Tuam adit benignitatem; vt simul optet sibi opitulari dignitatem: ita mitissimi Tui oris ambit serenitatem; vt simul à Gratijs cinctâ Maiestate Tuâ polliceatur sibi æternitatem. Nostrum autem erit, non iam in transcursu quasiq; de via, & aliud agendo (quod hîc à nobis factum) Tuæ litare dignitati: sed maioris Mineruæ muneribus, quasi expressiore signo æternum Tibi cultum, obsequiumq; testari: & post accensum istud exiguæ venerationis Thymiama, sublimiori apparatu adire æternitatis Tuæ aram: vt Tibi mox, inaurato Taurus cadat Hostia cornu. *Sic viue, vale, floresce ILLVSTRISSIME PRÆSVL, Religioni, Reipublicæ literis, præsidio, solatio, ornamento, & serus in cælum redi.*

Illustriss. & Reuerendiss: Dominationis Tuæ,

Cliens deditissimus,

M. VALENTINVS IOANNES MAZVRKOWIC.

ORATIO.

IN tantâ Nowieyscianæ in nos liberalitatis profusione, vtinam aliquis nobis nouus Orator nasceretur, qui augustâ Eloquij tubâ, sonoro facundiæ plausu, magnificâ sermonis maiestate, Antiquorum Oratorum, quos vt Numina Eloquentiæ tot⁹ suspicit & veneratur Orbis, dicendi venustatem dignitatemque pari propè cothurno æmulatus, eius gloriam totis viribus ad æternitatem promoueret. Nam si illi antiqui Oratores, minora etiam dicendi argumenta, tam florido tamen verborum apparatu exornata humanis subijciebant aspectibus, vt res non tam vocis adminiculo proferri, quàm potiùs in tabula viuis depictæ coloribus omnium exponi obtutibus clarissimè viderentur: quantâ hîc curâ quantoq; studio versandum esset in Nowieyscio meritissimis laudibus exornando, qui primus ferreis istis temporibus, verè in nostras miserias edurantibus præluxit ad literas in beatiorem restituendas statum, transtulit exemplum ad posteritatem singulare in bonis ingenijs attollendis, inspirauit vigorem salutarem tristib⁹ hac tempestate Musis, promptissimâ in Altricem suam benignitate, perpetuam ipsi in eius conseruanda dignitate suam operam, suumq; studium mirificè comprobauit. Dolebamus nimis & vehementer angebamur, eam esse stationis nostræ Academicæ infelicitatem, vt nonnisi studia nostra, communi quodam sæculi præiudicio, ad splendidam pauperiem damnarentur: mærebamus eam esse temporum conditionem, vt circumtonantibus vndiq; sæuientium bellorum fragoribus, quiduis potiùs in pretio esset, quàm amor literarum: affligebamur non leuiter ob exiguos istos reditus, quibus tenuissimè satis viuebamus interceptos: rerum propè omnium penuriam, in Musæa nostra, infestos inferre pedes querebamur: iamq; nobis propè libri è manibus excidebant, stylus diuturnis impeditus curis ægrè, quasiq; refugiens abdensq; sese profluebat, malè implexis obruta molestijs ingenia respondebant, omnisq; nostra conuulsa tranquillitas videbatur. Ecce verò præter omnium spem occurrit Illustris Nowieyscivs, effudit benignissimum fortunarum sinum in Academiam, vt, quia in languorem & paupertatem ibat, eam honestissimâ tantæ liberalitatis accessione confirmaret. Sparsit maiorem facultatum suarum partem, vt quia infesto solicitudinum tumultu quatiebatur, suâ eam paternâ prouisione recrearet, refoueret. Complexus est munificentiæ suæ gremio Professores, vt quia ab omnibus propè auxilijs in Summa Mæcenatum raritate deserebantur, suo eos opportuno succursu erigeret, attolleret, solaretur. Sic iam nouo fortunæ suæ incremento gloriabuntur Professores, & splendidiorem

nacti conditionem, tantò libentiùs libera pectora in studiorum laxabunt curam, tantoq; diligentiùs, nobilibus occupationibus, expeditos animos applicabunt. Huic ergò tanto tamq; insigni in literas earumq; Professores beneficio, si quispiam in antiqua illa Oratorum reponendus classe laudator accederet, quàm ille nitido comptoq; verborum apparatu vteretur, quàm variâ, solidâ, aptâ, viuidâ, numerosâ, compositâ describeret illud elocutione, quantam in verbis masculam expressionem, in sententijs animosam grauitatem, in dictis lepidissimas argutias elegantiamq; præseferret. Excuteret profectò omnia Isocratis myrothecia, omnes dicendi arculas, omnia Oratorum pigmenta exhauriret, omnes arcanas quasdam præscriptiones artis expromeret, omnes robustissimos formandi sermonis intenderet neruos: cùmq; Orationem diuturnâ ingenij commentatione satis ad venustatem efformatam, multâ meditatione paratam, quiete ipsâ dulcem, amænam stylo, conformatione verborum floridam fluentemq; proferret in medium, vsq; adeò in singulis eximij huiusce facti, quasi per gradus attollendis progrederetur laudibus, vt omnes facilè viuum ac spirans beneficentissimæ cuiusdam & ditibus Pactoli arenis nunquam comparandæ Nowieyscianæ bonitatis, defixum in hoc loco ad posteritatis memoriam sempiternam, intuerentur simulacrum. Nunc autem à me Vir maxime (Te enim appello immortalem, quandoquidem ab hominibus sanctè & compositè demigrans, ad Diuorum æternam, quam tot virtutib⁹ promerueras tibi, census & adscriptus es hæreditatem) à me inquam infantissimo laudaberis, cui vt adsit propensissima voluntas aspectabilem liberalitatis tuæ imaginem cunctorum in mentibus ad perennitatem profundè insculpendi, æqua certè facultas id ipsum efficiendi non suppetit. Quid enim ego in Oratione suauitate dulce, impetu acre, calore viuidum, argutijs excitatum, figuris illustre, vniuersâ dicendi potentiâ validum adferre potero? cui nec natura præclaras ingenij est largita dotes; nec consuetudo difficillimam dicendi scribendiq; Prouinciam satis reddidit familiarem; nec experientia quæ mediocria etiam & infrà vulgus latentia ingenia in serena sapientiæ manu ducit templa, magnopere industriam labantem, titubantem, hærentemq; sæpiùs confirmauit; nec ipse labor qui aliorum tenuitati suffragari solet, in ista virium mearum imbecillitate, satis efficaci potest auxilio opeq; præsenti, difficultates quæ hic nascuntur, amoliri. Obruor vel ipsâ cogitatione, totisq; artubus contremisco, ne simulac cum illo Phaëtonte tam sublimes volatus meditari cæpero, magnis & temerarijs excidens ausis in præceps ruam; aut cum illo Atlante onus humeros etiam Herculeos lassaturum subire tentauero, ipse ruina fiam, meoq; ipsius proiecti tumulo testari cogar, neminem id sibi faciendum cogitare debere, quod suarum virium transgreditur imbecillitatem. Et tamen quidquid hic pro meæ tenuitatis patrocinio declamauero, ingratum est, cùm tantum beneficium non debeat, nisi illustribus elogijs plenisq; laudib⁹ commendari. Si enim saxa etiam, solitudines, cautesq; durissimæ, quoties in silentibus earum receptaculis clamosi eduntur soni, mittunt vocalem per vniuersas partes suas Echonem, & dimidiatam quam receperunt propellunt quâquâ versus vocem: an nos decet in tam clarâ Nowieyscianæ beneficen-

tiæ conteſtatione ſaxis ipſis ſurdiores, elingues obrigeſcere in ſtatuas, quaſi non in publico Sapientiæ Prytaneo laborioſi doceamus Profeſſores; ſed in humenti aliquo ſtagno muti natemus piſces. Si olim anſeres obſidentibus Capitolinam arcem Gallis, iamq; in muros euadentibus, venerati fortunam Romæ, liberalitatiq; ſeſe paſcentium gratificantes ciuium, eum clangorem ſuſtuliſſe dicuntur, vt in ſomnum declinantem cuſtodum vigiliam excitârint velociùs, ad ferēdum periclitanti Capitolio tempeſtiuum ſubſidium: quid nos facere decet, quibus non hoſtes aliqui capitales appropinquant bonis fortuniſq; noſtris inhiantes: ſed amiciſſimus, ſed beneuolentiſſimus Nowieyscivs in oculos, in animorum occultos ſinus, in abditas pectoris latebras cum nouo beneficentiæ illabitur genere, omnes ærumnas noſtras depulſurus. Quantùmuis igitur me ſentiam anſerem inter alios ſuauiſſimè, in hac Academia modulantes Cygnos, videamq; ea mihi adeſſe impedimenta, quæ mihi perpetuum forent impoſitura ſilentium, excipiam Te tamen Patrone noſter voce gratiſſimâ, voce amoris affectuſq; pleniſſimâ, voce candoris propenſioniſq; indice manifeſtiſſimâ, voce quâ balbutientes filioli, cariſſimorum parētum, diuturnam abſentiam, feliciſſimo poſtliminio, domum redeuntem recipere ſolent. Quid tu mihi maligne liuor obijcis temeritatem? non temerarius ſed gratus eſſe volo; quid tu mihi cæca inuidia infantiam opponis in dicendo? infans licet, beneficij tamen expenſor eſſe cupio; quid tu veſana calumnia meæ linguæ ruditatem cauillaris? pius eſſe in Patronum, in Mecænatem meum deſidero. Loquar cum omnibus pro omnibus, & cum ceſſabunt deficientq; verba, officioſum affectum fundam. Ex Ariſtotelis non Pythagoræ Lyceo venio, nec quinquennij exilio vocem puniui vt mutus eſſem; ſed beneficium agnoſcere didici, vt quoquomodo teſter. Vos cariſſimi Confratres mei, quos eadem mecum cura liberaliſſimum celebrandi Benefactorem tangit, expendite diligentiùs quid non poſſum, vt vos feliciùs impleatis quod poteſtis: dumq; in vmbra tenuitatis meæ pulcherrimum hoc Nowieyscianæ bonitatis exemplar natiuo ſuo colore effulgeſcens aduertetis: cogitate quibus eum ſplendoribus eloquij, è numero communis exemptum laudationis, in poſterorum animis, in recordatione venturi temporis, in ipſo immortalitatis faſtigio, illuſtrem, ſpectatum, decorum, plenoq; iubare relucentem faciatis. Vnde nam verò in hoc primo ad inſtitutum meum ingreſſu exordiar? quod Propylæum tam auguſto ſuperexſtruam ædificio? An Oratorum more per ſingulas Nowieyscianæ vitæ partes progrediar? ortum eius quàm fortunati dies exceperint, pueritiam quàm ſedula parentum diligentia educârit, adoleſcentiam quàm accurata Profeſſorum induſtria poliuerit, virilem ætatem qui labores functioneſq; durauerint, ſenectutem qui honores exornârint, vitæ finem qui obitus placidiſſimus decorârit, ſtyli officio comitabor? An potiùs ſingulas eius virtutes, quibus eluxit, Pietatem, boni publici ſtudium, Religionis zelum, charitatem in proximos, conſtantiam in aduerſis, in proſperis moderationem, aliaſq; quibus nomen ſuum ad immortalitatem conſecrauit, celebrabo? Certè æquiſſimum eſſet, ſeruare poſteritati, & ab obliuione ab interitu vindicare, omnes quas præſentes miramur virtutes, vt eius tantò faciliùs con-

ſulatur

sulatur imitationi. Iustissimum etiam literarum nostrarum vindicem, vindici obliuionis calamo, totum quantus est seris monstrare nepotibus, vt talis nostrâ operâ spectetur semper, qualem se semel exhibuit, dum vixit in terris: nisi quòd tenuitas mea dum suos artus librat, dum respicit artes, huic tanto oneri laudum ne diuiso quidem & dispertito est ferendo. Relinquatur ergò ista excellentioribus ingenijs illibatissima integerrimaq; totum Nowieyscivm laudandi Sparta, ego me satis meo in desideratissimum Patronum officio functurum putabo, si ex hac admirandâ fertilissimarum virtutum vbertate, quasi ex amæno fragrantissimis vndiquaq; colluscente flosculis viridario, hanc solam in literas munificentiam, summo tenùs digito delibabo. Dicam igitur Nowieyscivm hoc insigni Professoribus collato beneficio, multùm sibi Rempublicam obstrinxisse. Laudabo deinde prudentiam eius, quòd Academiæ Professores delegit sibi exornandos. Alacritatem etiam pietatemq; eius in Almam Altricem suam celebrabo. Ad extremùm ostendam quid ille à nobis pro tanto merito requirat, quidue nos ei debeamus. Accuratæ non satis, neq; satis dulciter influenti in aures audientium, in oculos legentium Orationi, quisquis ignoscendum putauerit, inopiamq; ingenij mei, vt Nowieyscivs fortunæ subleuârit, eum ego quàmuis in alijs elinguis sim, non benignum modò, sed etiam prudentem disertè semper appellabo.

Atq; vt à primò priùs aggrediar, quid in mentem Viro maximo & solertissimi ingenij perspicientiâ in ipsas propè rerum latebras semet immergenti venerit, vt circumspectâ multorum annorum parcimoniâ collectas suas facultates, potissimùm in bonarum literarum Professores opportunâ fouendos prouisione conuerterit contuleritq;, haud difficilè est coniectare. An ille cum Diuino quodam ingenio, singulariq; ex vsu multarum rerum collectâ prudentiâ omnia quæ forent ex vtilitate publica prospiceret, hoc vnum non videret; literarum potissimùm diligenti cultu, & sedulâ tractatione, Reipublicæ magnâ ex parte stabilem solidamq; contineri felicitatem. Literarum porrò totam lucem, totum splendorem fulgoremq; nitidissimum hinc potissimùm efflorescere; si Professores honestis præmijs ad strenuam in literis nauandam operam excitentur, animentur. Vt ergò tantò faciliùs tantòq; efficaciùs ex suis sine cuiusquam iniuria damnoq; quæsitis bonis, aliquid in Rempublicam commodi proueniret deflueretq;: literarum sibi potissimùm Professores putauit onerosâ duræ paupertatis malignitate liberandos, vt cùm illi seriâ semper industriâ eruditum hunc literarium versarent orbem, tantò vberiùs in Rempublicam omnis boni semina spargerentur. Neque verò ego quenquam existimo, vel cum amuso Licinio in literarum odium conspirâsse, vel cum barbaris Gothis Arcadico stupore oppletum pectus gerere, qui non fateatur, quidquid in cultissimis Imperijs est pereximiæ dignitatis, quidquid in amænissimis regionibus suauissimæ deprehenditur humanitatis, quidquid decoris nitorisq; in Ciuitatibus cernitur opulentis; quidquid in nobilissimis incolis laudatur ingenuæ comitatis, quidquid in eminentibus Ordinibus clarissimi splendoris in oculos incurrit, quidquid in Ecclesijs veræ orthodoxæq; effulgescit Religionis, deniq; quidquid in Rebuspub: vetustissimi moris, aut ingentium virtutum notatur amplitudinis;

quidquid

quidquid vbiq; locorum alacritatis, animositatis, & occultæ cuiusdam conspicitur salubritatis; id totum inscribendum esse literarum incitatissimo vigori, cùm florentissimis ingenijs abundant imperia, & maximis præmijs Professores aluntur ad verum decus. Quæ res vt tantò faciliùs non profundè tantùm in animos; verùmetiam in oculos cunctorum manifestis deueniat indicijs: agedum hæc omnia breuiter sub similitudinum tersissimo speculo contemplemur. Quid quæso sunt literæ nostræ doctrinarumq; nostrarum amænitates? quid literarum Professores, & omnis solidioris Sapientiæ Mystæ venerandi? Literæ fontes sunt, grato sinuosoq; flexu, limpidissimos virtutis & doctrinæ riuos, in Ecclesiæ & Reipublicæ agros deuoluentes. Professores sunt horum fontium amænissimi canales, qui desilientem ex ijs iugi labore excipiunt lympham, bonoq; rursùs publico transfundunt copiosè. Literæ vernantes horti sunt, omni genere florum selectissimæ eruditionis consiti, quorum mirifico odore, meliùs quàm delicatis Arabicis aromatibus, calamisq; Indicis languentes Reipublicæ excitantur vires. Professores sunt hortorum talium tutelares Diui, qui vigili custodiâ intentam oculorum aciem claudunt nunquam, ne quæ immanis ignorantiæ vitiorũq; fera, protuberantes hasce Mineruæ opes, feroci dente carpat. Literæ lucidissimæ Stellæ sunt, quæ cursibus indefessis per immensas mundi discurrentes vias, hanc pulcherrimam rerum omnium varietatem in Imperijs, has Politiæ leges, hæc Ecclesiæ sancita, hanc Religionis puritatem, influxu suo gignunt & producunt. Professores sunt harum Stellarum motrices intelligentiæ, quæ suis laboriosissimis impressionibus has perficiunt agitationes, & ne languescat virt⁹, insidiantis desidiæ veternum pellunt, ad officia promptissimæ, & otium pænam iudicantes. Literæ Palladium sunt, quo meliùs quàm illo Troiano vafri Sinonum eluduntur astus, feroces Diomedum retunduntur impetus, acres Aiacum coërcentur impressiones, non vnaque Priami Patria, non decennalibus, sed perpetuis bellorum deflagrans incendijs munitur firmaturq;: Professores sunt huius Palladij excubitores acerrimi, qui hoc Rebuspublicis bonum, nullis apertis viribus, nullis occultis astibus eripi patiuntur. Literæ aureum vellus sunt, quod non vnius Colchidis extremam summis in periculis ditat paupertatem; sed omnes Prouincias beatissimâ circumfundit opulentiâ. Professores sunt huius velleris centoculi Argi, quorum omnes in eo consumuntur curæ, ne qua fraudulenta Medea hoc pretiosissimum æternitatis pignus, in perniciem suæ Patriæ, impietate prodat scelerata. Literæ Caduceus ille cælestis sunt, quo non palantes animæ euocantur Orco, & exangues animantur vmbræ; sed miseri mortales in profundas vitiorum lapsi voragines, ad absolutæ virtutis retrahuntur cultum. Professores sunt huiusce Caducei Mercurij, qui hoc cæleste munus hominibus applicant, & à superis ad homines vices obeunt nuntiorum. Literæ Prometheia illa virgula solari collucens igne sunt, quâ informes & incompositi naturæ partus calefacti, in noua Orbis miracula transformantur. Professores sunt huiusce Virgæ baiuli, qui eius vsu, præ natiuâ ignorantiæ caligine emortuis hominum animis, nouam pulcherrimam afflant venustatem. Literæ deniq; fertile Amaltheæ cornu sunt, quo non ab Ætholis tan-

 tùm,

tum, sed ab omnibus omninò populis, deploranda bonarum mentium pellitur sterilitas. Professores sunt huiusce boni largitores Hercules, quibus Orbis debet, quòd fœcundam metit ingeniorum messem, quam in horreo boni publici condat & deponat. Quid igitur est, volumus fontes perenni decursu, inexhaustos emolumentorum riuos, in bonum publicum deriuare. Canales ergò fontium à situ, squalore, à miserabili paupertate, liberalis dexteræ subsidio repurgemus. Cupimus hos hortos delicatos subministrare flores, ex quibus texantur corollæ, capiti Reipublicæ, ad summum ei⁹ decus imponendæ. Tutelares ergo hortorum Diuos, non (vt ait Poëta) farre pio & plenâ veneremur acerrâ; sed liberalitatis benignitatisq; beneficâ operâ, in omnes talium hortorum curas & vigilias erigamus excitemus. Desideramus raras hasce & lucentes stellas, secundo terris impetu continuò Orbes obire suos, vt arcano influxu, beatam in Rebuspublicis fundant fœcunditatem. Motricum ergò intelligentiarum fatigatum, procuratis nouis fortunæ subsidijs, instauremus motum; ne frustra viuidam promptitudinem, agitandis hisce sideribus exerceant & impendant. Expetimus Palladium istud nunquam hostili in prædam cedere amentiæ, esseq; inexpugnabile Patriæ felicitatis robur, & æternum munimentum. Excubitores ergò eius benigno gratiæ foueamus sinu, vt desideratis suæ diligentiæ perfruentes fructibus, quietem suam publicæ posthabeant felicitati. Optamus aureum istud vellus, suæ opulentiæ largis auxilijs, omnes hominum cumulare status. Argos ergò centoculos honestissimis pensionibus largisq; tributis in somnum relabentes recidentesque stimulemus: vt gloriosâ amoris publici æmulatione ducti, in omnes laboris & contentionis sustinendas molestias, tædiaq; deuoranda, generoso animo obdurentur. Vouemus Caduceum istum cælestem, diues humanæ miseriæ solatium, ac propensionis in nos Diuinæ singulare indicium, nunquam è humanæ vitæ consortio tolli; semperq; vitiorum calamitatumque spectra, è longinquo sollicitos animos terrentia depellere. Mercurios ergò huiusce Caducei gerulos æstimemus; neq; sua in nos obsequia, parcimoniâ vilissimâ corrumpamus. Trahimur studio, vt Diuinus hic delibatus de cælo & decerptus ignis, afflictis nunquam subtrahatur terris; sed continuam spargens lucem, debile robur aliorum, in nouam cogat alacritatem. Prometheos ergò huiusce ignis vsurpatores dexterrimos, non vt illum indignatus Iupiter, ad duræ Caucasum desperationis alligemus; sed cum propitiâ potiùs Mineruâ in cælum honoribus, amicitiâ, opibus attollamus. Deniq; ardemus vehementer, vt à refertissimo isto bonorum omnium cornu, affluens cunctos prosperitatis copia comitetur. Hercules ergò huiusce copiæ largitores, oblatis nostræ studiosissimæ voluntatis obsidibus muneribus coronemus: vt ita inter Professorum conatus indefessos, nostramq; gratitudinem diuisa obligatio, vtrosq; in compendium mutuæ trahat faustitatis. Alioquin subtrahe fontibus canales; & fluentis Crystalli dignitas interibit. Subduc intelligentias stellis; & grauis vmbrarum tristium contumacia caligantibus terris incubabit. Amoue Palladio excubitores; & non vnus Vlysses vaferrimus corruenti illud surripiet Troiæ. Procul age ab aureo vellere excubitores; & Iasonis non vnius scelerata temeritas ei inhiabit.

bit. Mercurijs alas & talaria adime; & celeritas eorum spoliata cursu præpeti hærebit. Abige Prometheos; & Diuinus ille ignis cælesti lucis suæ fulgore, non ampliùs emortua membra, in vitales mot⁹ animabit. Hercules cornu copiæ largitores durissimâ cum Euristheo obrue sorte, & totum mundum ad miseram relegabis egestatem. Pari ratione crescenti eruditioni largissimos subtrahe Mæcenates, benignissimos intercipe Patronos, & omnes hi eminentes in virentibus Parnassi collibus eruditorum flores; non secùs ac quondam ad obitum formosi Adonidis Pæstana Rosaria, contabescent. Viderunt hoc omni ætate prudentissimi & verè inclyti Heroës, ac proinde cum cæleste in terris regendi munus sustinerent, bonarum artium Numina effusissimè coluerunt: & quasi par gloria Imperij atq; studiorum esset, eandem ad continendos in officio populos, & ad excelsis ingenij dotibus eminentes viros exornandos, manum porrexerunt. Noluerunt latere raras istas & splendentes faces, in obscuræ sortis nocte; sed vt tantò clariùs nitidissimum suum iubar spargerent, producebant illas in apertum lucis spectaculum, purpurâq; & ostro lucem earum è propinquo intendebant. Non passi sunt laboriosas istas apiculas sterilia peruolare prata; sed vt tantò copiosiùs liquentia mella in publicum inferrent alueare, cultiora ipsis rura suppeditabant, laxiores domos ædificabant, & ambitiosum illis fortunæ choragium explicabant. Non sustinuerunt suauissimarum istarum lusciniarum, musicum multis miserijs intercludi spiritum; sed vt tantò iucundiùs amæniùsq; certis inflexos legibus sonos molirentur; ederentq; mirabiles illos concentus, beatissimamq; Harmoniam, quam nunc posteritas ceu Orpheium melos, aut Amphionis Lyram aure bibit sitienti; aures earum multiplici vocum sono, oculos exquisitissimis spectaculis, palatum saporibus apparatissimis delectabant. Talis olim fuit Philippus ille Macedonum REX prudentissimus, qui Atheniensibus quàmuis meritò iratus & infensus, semper tamen sibi ignoscendum dicebat; quòd negaret illud theatrum gloriæ suæ, doctissimis eo tempore abundans viris, sese excisurum. Talis tanto Parente Maior filius ALEXANDER ille omnium, quoscunq; sol aspexit Regum bellicosissimus victoriosissimusq;, quem non tam innumeri triumphi; quàm potiùs integra doctissimorum virorum agmina, per vniuersum secum orbem circumducta, stupendisq; thesauris locupletata, mansuris æternitatis fastis intulerunt. Talis Ptolomæus Soter Rex Ægypti laudatissimus, qui Stilponem Megarensem, Darius præclarissimus Monarcha Persarum, qui Heraclitum, Artaxerxes, qui Menandrum, Polemon Atheniensium Dux, qui Xenocratem, Epaminondas Thebanorum Princeps, qui Lysidem, Pyrrhus Epyrotarum Rex, qui Cyneam, Augustus qui Liuium, cum suæ familiaritati insuetæq; felicitati admouissent, eâdem operâ suis Rebuspublicis optimâ se præsidia, optima commoda ornamentaq; paraturos iudicarunt. Etiam, quod iure quispiam inter stupenda prodigia ponat, crudelissimi quiq;, dirissimi, immanissimiq; Tyranni, Phalarides illi Agrigentini, vastæ voragines vitiorum: Antigoni Macedones, monstra quædam teterrima sceleratæ improbitatis: Tiberij Imperatores, ex omnium nequitiarum fraudiumq; importunitati conflati: Nerones Matricidæ, pestes quædam communes & Phaëtontes

 generis

generis humani: Antonini Caracallæ, spongiæ cognati etiam & fraterni sanguinis sitientissimæ (ne solos tantùm viros virtute excellenti præditos in hoc Mæcenatum numeremus censu) hac se tamen vnicâ virtute in posteritatis gratiam insinuare voluerunt: si quàm maximè literas literatosq; innumeris sibi beneficijs deuincirent; si viros doctrinâ eminenti elegantiâq; literarum perpolitos, cariùs omni auro omniq; thesauro æstimarent; si eorum tenuitatem opportunè creberrimis donis subleuarent. Tantùm enim ex literis in Respublicas commodi, tantùm splendoris, tantùm maiestatis effunditur, vt illi ad perniciem innocentium virorum nati, qui sanguinolentæ Tigridis instar omnia cæde, stragibus, lacerationibus horrendis fædabant, conspurcabant; quibus homines perdere, iocus & ludus quidam fuit liberalis; crederent omnia se damna, pernicies, incommoda facilè Rebuspublicis resarcituros compensaturosq;, si saltem literatorum excellentia ingenia suæ cultu humanitatis, ad iuuandum commune bonum allicerent, prouocarent. Et certè vt ad ipsos deueniam literatos, quispiam ne arbitretur doctissimos illos viros, qui ingenij sui sublimitate admirationem omnibus sæculis, suæq; confessionem magnitudinis extorserunt, sapientiam illam suam perficere, vastissima sua pectora magnarum fæta cogitationum, omnis doctrinæ censu stipare potuisse: nisi insigni suorum Patronorum liberalitate subnixi, liberrimas suas mentes in immensum scientiarum pelagus immersissent? Minimè gentium. Munificentia Patronorum illorum ardentissima studia, in omne genus eruditionis impulit: munificentia illis incredibile sciendi desiderium auxit: munificentia iniecit odium ignauiæ, peperit gustum cognitionis, insinuauit contemptum difficultatis, aluit & confirmauit laborandi in studijs sedulitatem. Hæc suauissimos pangendi carminis artifices, per multas impedimentorum asperitates & salebras, in altum & inuium Parnassi duxit collem, Musarumq; sibi pronos fauores, & ipsius præsidis Apollinis conciliauit plausum. Hæc disertissimos Oratores in Eloquentiæ, manu quasi protractâ, fastigium traxit: ibidemq; victricibus lauris promerentium capita cinxit, & virenti myrtho tempora impediuit. Hæc solertissimos Philosophos in ipsum abditum Democriti demersit puteum, & viuentes adhuc suauissimæ contemplationis recreatos pastu, è viuentium numero segregauit; in Academicaq; vmbracula, Lycea, viridariaq; amænissima cupientes egit. Hæc subtilissimos in astra duxit syderum obseruatores, per naturæ illos lucentes globos & insigne noctium spectaculum, sidera in aperto superlabentia, mundiq; in præceps semper acti choreas, eorum curiosum aspectum circumtulit. Hæc omnis sapientiæ, omniumq; bonarum artium Antistites, suæ quietis commoditatisq; securos, in commodum venturæ posteritatis omniumq; educauit sæculorum, vt seipsis maiores effecti, illa nobis sapientiæ præcepta, & sublimes voces inusitatâ animatas eloquentia profunderent, quas nunc quisquis legit, plenus ingentis fiduciæ, & æthereo ac erecto honesti calore incitatus:

> Celsior exurgit pluuijs, auditq; ruentes
> Sub pedibus nimbos, & cæca tonitrua calcat.

Quomodo verò quæso aliquis poterit tot res, tam varias, tam distractas,

tam

tam confusas, quales in literis reperiũtur, voce, memoriâ, consilio, ingenio sustinere: quomodo quemadmodum certis inter se limitibus distinctæ, ac seiunctæ sunt; iudicio etiam suo discernere: quomodo elegantis styli penicillo ad posteritatis memoriam delineare: quomodo rationibus validissimis fulcire, firmissimis argumentis stabilire: nisi priùs parauerit sibi vitæ præsidia, quibus instructus armatusq́;, strepentes circa se tot egestatis minas audiat & contemnat, quibus fretus confisusq́;, cum naturæ desiderijs difficillimo certamine deprælietur & triumphet, quibus tectus munitusq́; dolores se circumsilientes cernat & compescat, quibus sublatus eleuatusq́; videat miseriarum tempestates rupturas breui nimbum suum, ipse tamen in altissimâ securitate consistat conquiescat. Quomodo naturam cum Stoicis vincet, cum Cynicis excedet, cum Peripateticis in consortium omnis æui incedet, cum Academicis egredietur humanæ imbecillitatis angustias; cum Socrate soli sapientiæ vacabit, cum Zenone, Pythagora, Democrito, alijsq́; nobilissimarum familiarũ ingenijs, felicissimâ festinatione discurret, per omnes latè patentes scientiarum campos: quem molesta pauperies solicitudine conficit, cui rerum penuria somnos rumpit, quem dirum telum necessitas solo allidit, quem ne plura loquar, rerum omnium indigentia non à limine tantùm sapientiæ; sed ab oculis humanis subducit, abditq́; in latebras, & in illuuie domesticâ, tristibus fatigatum curis derelinquit. Quomodo deniq́; omnium hominum ad leges benè viuendi reuocabit vitam, impetus animi spontè ac voluntate suâ præcipites in omne flagitium, freno pudoris illibati reprimet, affectiones omnes temperatas, & menti obedientes esse compellet. Paucis multa; quomodo faciet vt Ciues Patriæ, depulsâ omnis libidinis impurissimæ tetrâ caligine, omnes suos successus prosperrimos, omnem Reipublicæ quietem, securitatem, integritatem, vitam deniq́; illam, quam nulli temporis cancelli, nullæ longissimæ definiunt ætates, nulla vasta sæculorum includit profunditas, in iustitiæ cultu, in decoris honestate, in virtutis robore, in mansuetudinis lenitate, in moderationis venustate putent constitutam: hæc inquam omnia quomodo faciet is homo, quem duræ compedes ac vincula detinent inopiæ, ne se publicis impertiat vsib⁹; cuiusq́; tam duro iugo Diuinæ particulam auræ oppressit egestas, vt sub eo ne possit quidem respirare. Crede mihi, quisquis es, in angustijs, in ægritudine, nequaquam est literis locus: & sapienter antiqui solem omnis lætitiæ datorem Musis præposuerunt, vt innuerent assiduis doloribus patientiam animi oppressam obrutamq́;, miserijsq́; suis velut denso nocturnæ caliginis horrore consepultam, parùm commercij cum Musis habere posse: quemadmodum qui cum onere incedit, morosa sæpius format vestigia, labitur facillimè, moratur creberrimè; nec in editum aliquod culmen, nisi ægrè, multoq́; cum anhelitu, fessa languentiaq́; membra promouens, gressum profert. Quantùm ergo eos in publicum bonum conferre statuemus, qui Professorum attollunt ingenij sublimitatem, ornant industriam fortunæ muneribus, liberant & exsoluunt à molesta rei familiaris curâ sedulitatem. Quantùm etiam nostrum Nowieyscium animo vidisse decernemus, qui ingenti aliquo pignore Rempublicam sibi obstricturus, hoc sui in Patriam amoris æternum exstare vo-

fuit monumentum, hoc suæ indicium bonitatis, hoc lumen prudentiæ, si in Musarum delubris opima Ditis spolia suspenderet; si iuxta Apollinis aras virentes beneficiorum palmas, vt olim in Delo Insulâ factum legimus, sæculis innumeris duraturas plantaret; si Musæis Professorum, non vt olim Pompeius Magnus in honorem fecerat Possidonij, laureatos fasces submitteret; sed suas opes affunderet copiosè.

Sed cur in ACADEMIA hoc insigne animi sui in literas inclinatissimi reliquerit documentum, mirum fortasse cuipiam videbitur, quisquis sparsas per Poloniam vniuersam, deductasq; literarias istas colonias, curioso oculo circumspiciens, ACADEMICAM sibi fortassis non magni faciendam putabit paucitatem: ego autem contendam potiùs, vel ideò maximè lucem quandam maiorē amplissimæ gloriæ ex NOWIEYSCIANA liberalitate effulgescere, quòd per eam literarum ACADEMICARVM litatum est commoditati, quòd earum potissimùm consultum dignitati. Cuperem hæc ab alio prædicari, cuperem non à me solùm, qui minimus Almæ Matris filius sum, in sermone poni. Subuereri enim debeo, ne etiamsi vera dixero, alij me nimium laudum domesticarum præconem, alij non satis æquum alienæ virtutis censorem arbitrentur. Sed dicar sanè & iudicer alijs vt fuerit collibitum; ego dum mihi ipsi probatus, sub iudice conscientiâ non vacillabo, non admodum curabo, si quid mihi falsi cuiuspiam maleuolus affinget sermo. Par est vel meæ existimationis periculo ACADEMICA in Rempub: Polonam merita memorari, vt NOWIEYSCIANÆ magnitudo liberalitatis, magis etiam ab omnibus cognoscatur. Quid igitur est, in quo tantopere ACADEMIÆ in hoc florentissimum Regnum spectari velim, fidem, laborem, boni publici charitatem. Audiat quisquis est hospes domestici moris, & in rerum Polonarum ignoratione versatur, audiat etiam quisquis diro malignitatis veneno suffusam mentem gerit: & si nobis antea sinistri aliquid cuiusquam conuitia affricuerunt; si quas labes & maculas cuiusquam adspersit suspicio, æquiora sibi de nobis iudicia putet facienda. ACADEMIÆ primùm Respublica Polona debet, quòd pristino deposito horrore, Sarmaticâq; multorum iactatâ dicterijs barbarâ cruditate, cum cultissimis potest nationibus in apertum ingenij certamen deuenire; aliquas etiam elegantiâ Latini sermonis vsq; ad extemporaneam dicendi facultatem superare. ACADEMIÆ debet hunc pulcherrimum Polonæ libertatis gustum, quâ maximis etiam Principibus desiderium sui & reuerentiam Respublica fecit, quâ omni postposito prælio, integros & intactos populos, ad earundem legum traxit societatem. Antiquæ institutioni adscribendus est aureus ille Polonorum sine fuco candor, blanda sine rigido supercilio virtus, seria sine contemptu alterius eruditio, sincera sine simulatione pietas, consummata sine cruditate morum grauitas probitasq;, quibus aliarum gentium, harum virtutum non æquè feracium, intimos amores & affectus merueramus. Antiquæ fuerunt institutionis SZYDŁOWECII, MELECII, TOMICII, OĆIESCII, TARNOWII, LVBRANSCII, TĘCZYNII, OSOLINII, SAMOSCII, alijq; innumeri bello paceq; clarissimi Viri, quorum Diuinis consilijs Respublica debet, quòd adhuc stat pro vallo Europæ, excubans pro vicinarum gentium quiete, contra ferocissimorum hostium immanitatem:

manitatem:

manitatem: Turcicamq; vastam ex tot Imperiorum ruderibus substructam potentiam, non oppositis aggeribus, structisq; mænibus; sed fortissimorum Ciuium pectoribus, sed indomito robore, sed audacissimâ fortitudine sistit & auertit. Antiquæ institutioni in acceptis referenda est hæc Latini eloquij puritas, hic animorum nitor, hæc doctrinarum omnium exquisitissima varietas, hæc exactissima iudiciorum censura, hic auiti moris conseruandi feruor, & quidquid in Polonia magnificum videtur & stupendum. Ex quo tempore in Poloniam neglectâ veteri institutione introduci cœperunt exoticorum studiorum promiscuæ vsurpationes, ex illo tempore fluere ac retrò sublapsa referri, spes Lechidûm, fractæ vires: ab illo tēpore intuemur passim illibatum pudoris decus interire, intaminatæ honestatis studium restingui, victricem exultare indomitam turpitudinem, pro sapientiâ inconsultam temeritatem, pro fortitudine languidam imbecillitatem, pro temperantia effrenatam libidinem adhiberi, simplicissimam miserè vexari innocentiam: laxatisq; pudoris & verecundiæ vinculis, & morum sanctitate & castimoniâ profligatâ, omnia sic administrari, vt quæ erant ad salutem Reipublicæ constituta, ad perniciem eiusdem conferantur. Neq; vero ego (pace hoc aliarum nationum dicere liceat) video cur magnopere exotica studia sumptu tam immenso, periculis tam præsentibus, tædijs tam molestis, multis, grauibus, itineribus tam longinquis, dissitis, asperis, sint quærenda. Cromeros quidem ego, Socolovios, Romerios, Schonæos, Gorscios, Orichovios, Varszevicios, Patricios, Vitellios, Cynerscios dum lego, non admodum exterorum Muretos, Sigonios, Bembos, Manutios, Sadoletos desiderem; sicut nec in Historia neruosè scribenda, Thuanum prætulerim Petricio; aut carminum elegantiâ Ronsardum Simonidæ; vel multarum rerum peritiâ scriptorum multitudine, pretio, elegantiâ Starovolscium, Lipsio; aut Hispanum Osorium, Gollicio. Ad extremùm sit hîc idem, qui apud exteros literis honos, eadem laborantibus pretia, & amænissima Italicorum ingeniorum lepiditas, subtilissimum Hispanicæ contemplationis acumen, excitatissimus Gallicæ eruditionis vigor, robustissima Belgici eloquij maturitas, in nostram Poloniam nullo negotio immigrabunt. Exposui breuiter Academiæ in Patriam merita, reliquum est, vt Patriæ etiam in exornandâ Academia studium & propensionem videamus. Non faciam iniuriam maximis virtutibus, & commemorandis in omni posteritate Heröici animi exemplis Tuis Diue Iagello, quem verè Patrem, Fundatorem, Auctorem suum literæ fatentur Academicæ, si vt integerrimæ à me satisfiat veritati, de Tuâ in nos insigni liberalitate, aliquid cum ingenuo candore, licet non absq; debitâ reuerentiâ in medium attulero. Fatemur equidem nos omnes liberalitati deuinctos Tuæ, omniq; nexu obligatos; quòd hoc Lyceum à primis fundamentis felicissimis auspicijs, insigni totius Reipublicæ emolumento erexisti. Tibi in solidum debemus transcribimusq; omnia plena gloriæ, plena illustris famæ, quæcunq; ex hac studiorum erectione ad nos Tuamq; posteritatem decora promanârunt. Tua illa intermoritura nunquam laus est, quòd cùm alterâ manu fortissimorum militum inuictas phalanges, ad iuratos Regni huius hostes debellandos ordinares; alterâ sapientissimorum Vi-

rorum ad profligandam barbariem, magnum numerum induxiſti. Tuum illud ſingulare præconium, in ipſo ſacrato Muſarum penetrali, cedrinis tabulis inſculpendum; quod Heroïcâ Tuâ munificentiâ oſtendiſti primus, fruſtra Sarmaticæ indoli, incultæ barbariei horrorem obiectari, quæ florentiſſimarum etiam nationum exertis ingenijs, in hoc elegãtioris doctrinæ circo, tam facilè poteſt comparari. Sed tamen ſi dixero minùs à te literis præſtitum ACADEMICIS, quàm vt à Regiâ Tuâ munificentiâ, contra ſecuturi temporis iniurias munirentur defenderenturq́;, & quid quæſo à me ad Tuam gloriam imminuendam prolatum quiſpiam affirmabit? Feceris enim multa pro illis feliciſſimis temporibus, quibus rerum omnium in Polonia ſummam vilitatem, modica rerum pretia demonſtrabant, quibus leui ære facilè quiduis in poſſeſſionem veniebat ementium: nunc cùm pretia rerum creuerunt immensùm, cùm nonniſi maximis annona conquiritur impendijs: exiguum certè id eſſe cogimur iniquitate temporis profiteri, quod antea fuit ampliſſimum. Secuta eſt poſtea aliquorum priuatorum hominum liberalitas, qui in hoc Athenæo tyrocinij depoſiti, & educationis ſuæ peractæ memores, tenuitatem illius ſuo demenſo recreârunt. Nondum tamen vſque adeò dilatauit ſe cuiuſquam benignitas, vt omnes vacuas neceſſitatis noſtræ lacunas impleret, querendiq́; nobis de noſtra egeſtate, omnem præriperet facultatem. Sicut enim ſi quis ædificium mole ipſâ ſtupendum, ſtructurâ magnificum, proportione æſtimandum, elegantiâ & concinnitate admirandum, immenſo ſumptu exſtruxerit, rem quidem ille maximam effecerit; niſi tamen illud crebrò interpolauerit recõcinnâritq́; niſi hiantes eius rimas impleuerit, niſi fulcris & adminiculis firmiſſimis vergens in ruinam fulciuerit ſuſtinueritq́;: non multùm ille vtilitatis ſibi alijſq́; inde parauerit: multorũ enim annorũ labores, vnus tandem dies ſparget & diſſipabit. Ita certè paſſim in antiquis fundationibus fieri videmus. Nam & illæ quoq́; niſi nouis inſtaurentur auctionibus, niſi recentibus tempeſtiuè reficiantur cenſibus, ad eas minutias lapſu temporum deuenient, vt moderatiſſimi cuiuſq́; frugalitatem nequeant vltra ſuſtentare. Itaq́; ob eam ipſam redituum penuriam, magnum in diſcrimen literaria res veniebat. Quid enim ſi diutiùs in venis ac viſceribus ACADEMIÆ hoc tantum incommodum latuiſſet, neq́; ſemel profligatâ Profeſſorum tranquillitate, eos vnquam erigere caput permiſiſſet: an occultis tãtùm deprehẽdebatur indicijs; non etiam manifeſtis colligebatur argumẽtis, eò res fuiſſe deuenturas, vt Profeſſores bonarum artiũ auulſi ab excubijs literarum, cùm ſuum locum cum honeſtate tueri non poſſent, id ſuadente neceſſitate fuiſſent ſuſcepturi conſilij, quod ſibi obiectus neceſſitatis metus extorqueret. Itane verò: aliqui delicati Phæaces Vlyſſis ſocij, cum Lotophagis, in omnium rerum affluentiâ nihil agentes feliciſſimam contriuerint ætatem; aliqui pigerrimi Therſitæ, procul ab omnibus laboribus, in opulentæ vitæ ſuauitate, ſumptu publico, periucundè fuerint verſati; aliqui ignauiſſimi & luxu marcidi Vatiæ, nullâ aliâ re, quàm otio noti, in maximâ rerum omnium copiâ conſenuerint; his Reſpublica ſuos honores, his præmia, his excutiendam auream meſſem, his pingues Alcinoi menſas, his exquiſitiſſima Calypſus obſonia profuderit, prodegerit, miniſtrauerit:

Profeſſores

Professores bonarum artium, quorum bonis publicis desudat industria, omni suarum miseriarum carebunt perfugio; soli repulsam bonæ fortunæ patientur, soli viuent alligati durissimæ paupertati, soli cùm ob receptam in domesticum cõsortium frugalitatem, superfluorũ sibi vsum præsciderint, à necessarijs quoq; arcebuntur? Sed cohibeo erumpentem latiùs se efferentis impetũ styli, ne in eo ipso, in quo exultat & triumphat Oratio mea, importunæ se querimoniæ immiscentes, gaudij nostri magnitudinem interrumpant. Ad nostrum potiùs redeo Nowieyscivm, à quo me contemplatio præsentis literariæ felicitatis abstraxerat, illi reliqua hæc vox seruiat, cuius beneficio factum est, ne iam miserias vltra nostras incusemus. Hoc enim motu atq; penuriâ rerum omnium, cùm penetrâsset in intima Lycei huius, obseruator viri prudentissimi oculus: cognouissetq; eam intùs latere tenuitatem, vt expeditâ mente & liberâ, & supra angustias rei familiaris positâ nequàquam possent Professores, totas eruditis negotijs dispungere horas; quòd durum paupertatis onus, portentosis ingentium curarum machinis quieta concuteret pectora: nequaquam sibi quiescendum duxit, nisi hunc fontem bonarum artium, hoc caput Polonæ Eruditionis, hoc cor viuacioris doctrinæ, hanc feracissimam omnium commodorum arborem, suâ ipse beneficentiâ promptissimè coronaret. Prudentiæ suæ putauit Scholam hanc principem, contra influentes inferentesq; semet malignæ sortis æstus tueri; Prudentiæ extremam penuriam in ipso aditu coërcere: Prudentiæ sanctissimorum stirpis Iagelloniæ Regum opus hoc singulare, eximiumq; sui in Poloniam amoris symbolum, à lapsu & miserijs præseruare; Prudentiæ Eruditioni toto Orbe notissimæ, diuturnisq; in Patriam meritis patrocinari: Prudentiæ difficillimis afflictæ fortunæ turbinibus, vexatam Professorum sortem componere; Prudentiæ deniq; meliora ingenia, in hac laboriosâ benè merendi defigere statione, vt suorum securi commodorum, nullis de egregio hoc docendi Officio, nascentibus impedimentis dimoueri possint. Prudentiâ suâ admirabili id vnicum agere visus est, vt Professores, non quidem viscatis fortunæ muneribus saginarentur; sed tamen implerentur: non quidem à diuitijs obsiderentur; sed tamen iuuarentur: non quidem ab opibus distinerentur; sed tamen à penuriâ non implicarentur: non quidem splenderent; sed tamen non obsolescerent: non quidem luxuriæ suæ Apicij prodigiosis impensis, aut Nomentani pudendo sumptu parentarent; sed tamen hilascerent, quiescerent, satiarentur, consisterent; ideòq; hæc tantùm Plutonis sacra colerent, ne tenuitas fortunæ vigorem omnem industriæ fatigaret. O mentem Viri Maximi omnis prudentiæ non scrinium, sed penu feracissimum! ô animam omnis consilij non arcam, sed promptuarium ditissimum! ô pectus omnis iudicij, non receptaculum, sed officinam capacissimam. Si alijs Vir iste maximus literarum domicilijs, suam benignitatem commodâsset, fecisset ille præclarissimè; sed tamen minùs, quàm quod modò ab illo factum in laude ponimus, præstitisset. Nam quid sunt per vniuersam Poloniam, alia literarum domicilia? sunt scaturigines omnes pulcherrimo flexu ad bonum commune profluentes. Scaturigines implere fonte interim præterito fuisset inconsultum. Quid sunt aliæ in hoc Regno humaniorum literarum

rarum Palæstræ? sunt membra excitatissimo semet doctrinæ motu ad publicum bonum agitantia. Membra fouere capite interim neglecto, non fuisset circumspectum. Quid sunt aliæ in hisce Regionibus Scholæ? sunt venæ meliorem vigorem in totam Rempublicam dispensantes. Venas meliori imbuere succo, corde interim derelicto, non fuisset tempestiuum. Quid sunt deniq; aliæ nostris in nationibus eruditionis Officinæ? sunt rami, à quibus in totam iuuentutem diffunditur cognitio liberalis. Ramis limpidos latices affundere, radice interim arescere permissâ, parùm fuisset fructuosum. Quibus nunc omnibus à NOWIEYSCIANA liberalitate, efficacissimo sanè euentu est succursum. Dum enim impleuit fontem, ne scaturigines quidem pigro & segni flexu siccas ripas deserent: dum capiti prouidit, ne à membris quidem viuacissimus recedet vigor: dum cor recreauit, nec venas etiam damnosus nutrimenti defectus occupabit; dum radicem leniùs irrorauit, rami quoq; luxuriabunt feliciùs, laxiùsq; in omnes partes diffundentur: dum ACADEMICVM delegit campum, in quo sua liberalitas excurrere benigniùs, & ab omnibus cognosci posset; etiam reliquæ Scholæ multò feliciori successu ad singularem literarum cultum, decusq; ferri videbuntur. Quantis ergo nunc Diue IAGELLO in illo cælesti Capitolio, in quo consortio simillimarum tui mentium incredibilem in modum oblectaris, quantis nunc credemus te incedere læ itijs, inuentum fuisse vnum è millibus NOWIEYSCIVM, qui pulcherrimum hoc opus à Te conditæ ACADEMIÆ, iam iam lapsu temporis inclinans Heroica sua munificentia sustineret gloriosè, foueretq; viros, qui non sibi, sed vniuersæ semper vixerunt Reipublicæ; neq; sibi fructus ex suis laboribus amplissimos, sed toti Patriæ quæsiuerunt. Gaudetis & vos aliæ beatissimæ mentes, in illa immortali Patria, vbi certus vobis & definitus est locus, vos magnanimi NOWODWORSCII, vos disertissimi TYLICII, vos præclarissimi ZADZICII, vos spectatissimi VLADISLAWSCII, ab hoc vestræ laudis insigni successore & æmulo, confirmari beneficia vestra, quibus Athenæum istud Cracouiense prosperrimo successu dotâstis, ornauistis, promouistis. Gaudent credo & omnes, quotquot sunt huius loci alumni & discipuli, nondum in tenebras ire ACADEMICAM dignitatem, non dum deficere hunc fontem, qui duobus alueis virtutis & doctrinæ, in bonum publicum plenus fluxit. Neq; verò te Alma omnis sapientiæ dispensatrix, non par est in omnem diffundi hilaritatem, tristibus exercitam curis exuere solicitudinem, & in noua gaudia, seueris assuetam cogitationibus impellere mentem. Quod enim munus, quam gratæ eruditionis tesseram laboriosi Professores Tui, Tāti Dotatoris gratiæ non refundent? quod non exsoluent officium tantis beneficijs? quæ se omni librâ, omni nexu bono publico obligant & obstringunt. Agnoscent illi semper se fore NOWIEYSCIANÆ liberalitati obnoxios, semper se deuinctos creditori suo concedent, atq; adeò industriam literis, sedulitatem laboribus, eruditionem pietati, omnia exculta mentis decora, bono publico commodabunt. Nefas esse ducent, vt quis alumnorum NOWIEYSCIANÆ liberalitatis veterno socordiæ obrigescat in eà Palæstrâ, in qua labor & industria, vocis & ingenij, contentiones pulcherrimæ, æternùm defixam habent stationem. An verò antea in circumsilientibus vitam suam tot incommodis, in medijs

curarum

curarum impendentium tempestatibus, in molestis curandæ rei familiaris cogitationibus, vicerunt tamen omnes difficultates, subegerunt ingenium vsu acerrimo, collegerunt sibi incredibilem doctrinæ vbertatem, neq; imbelles aut otiosi, capacissima omnis doctrinæ capita sua, emeritis lauris coronarunt? Nunc dum sibi singulare Nowieyscii beneficium viam aperit & munit, ad maturiorem frugem atq; ingenij concertationem: simulabunt ineptum animi languorem, vocis & ingenij præseferent tenuitatem, desides que se in sapientiæ castris milites probabunt? Ibimus tantò sublimius ne despera bona Mater, affundemus in sublimi sedentibus Musis cuncti sudores nostros, opponemus irruenti ignorantiæ scutum laboris nostri, studebimus nobis iam tandem pacatiores facti congregare diuitem ingeniorum censum; dumq; ita omnia effingemus, vt in omnibus nostris literarijs occupationibus, digni niteant eruditionis apparatus, integras mortalium ætates tuis Alma Mater implebimus laudibus, teq; sublimibus spectandam meritis totiOrbi proponemus. Ex quo iam sequitur, quanta etiam in eo ipso prudenti consilio, Illustri Nowieyscio, laus sit tribuenda; qui communibus studijs in Academia, ad pristinum statum attollendis, suarum maiorem partem impendit facultatum: cùm hoc suo facto non modo vetera Reipublicæ bona luce meridianâ clariùs integra videamus conseruata; verùm etiam certiori in posterum præiudicio, tantò ampliùs, tantòq; vberiùs noua cumulanda.

Intelligo me diutiùs, quàm fortasse par erat in hoc loco fuisse commoratum, dum nitor ostendere optima Reipublicæ adminicula nostrum parâsse Nowieyscivm, cum Academicam suâ liberalitate & gratiâ, dignam censuit mediocritatem, in eamq; potissimùm exornandam sumptus suos erogauit. Sed nimirùm, tribuendum erat aliquid affectui meo in Almam Matrem, quam ab hac Heroicâ Nowieyscii largitate, confectam senio suam vetustatem confido depofituram. Conuincenda etiam erant obtusa, & detorta iudicia, quibus placet facundiam inopi linguâ desertas artes deplorantem relinquere destitutam. Nunc iam ad Nowieysciani beneficij alacritatem, gratissimi styli officio commendandam, resumpto quasi spiritu eloquentiæ progredior; à qua me longiùs prudentia fuerat remorata. Quæ verò illustrior potest beneficij reperiri commendatio? quàm ita illud largiri, vt cùm multùm, cum opportuno tempore, cùm indigentibus contuleris: nullo tamen feruentiore precum studio, nullis importunis flagitantium rogationibus, huc adductus videaris. Largiuntur multi beneficia pretio æstimanda, necessitate opportuna, amplitudine laudanda; sed ita largiuntur, vt rogantium verecundiam demittant ad genua, vt supplicum vota diuturnâ consumant exspectatione, vt spes egentium longissimâ morâ protrahant, vt ipsam magnitudinem gratiæ tristi supercilio corrumpant, vt ardentissimis diuturnæ interpellationis facibus admotis, magis magisq; inflammentur. Qui verò ita largiatur, vt præcurrat officioso humillimas preces affectu, spes omnes celeri anteuertat anticipatione, occurrat ipse sponte venienti miseriæ, nec sibi sustineat diuturnis postulatis manum quasi inijci, rarissimus est, vixq; eum vt Phœnicem quingentesimus producit annus. Difficile quippe est, ita omnes explere bene merendi articulos, ita nôsse quid in beneficentia

 sit

ſit primum atq; vltimum, ita ad leges benè formatum inſtitutumq; eſſe charitatis, ita in opulēto amoris verſari gazophylacio, vt cum impèderis beneficium, etiam petendi graue nonnunquam animis ingenuis remittas onus, nec quidquam in beneficio tuo committas, quod non ſit gratuitum. Quo in genere, mirum, quàm ſe ſingularem artificem noſter præſtitit Nowieyscivs Non enim à nobis diuturnis eſt exambitus votis, non crebris in hoc liberalitatis ſuæ theatrum præclariſſimum euocatus ſuſpirijs, non mellitis delinitus blandimentis, non promptis conciliatus officijs, non quæſitis impulſus, pellectuſq; laudibus: ſed cùm in hoc munificentiæ agro, opimam ſegetem ſpargere conſtituiſſet, præcurrit etiam vota noſtra, tantùmq; ſe noſtris commodis indulſit, vt priùs eum beneficum ſenſerimus; quàm in animum noſtrum hæc vnquam cogitatio deſcendiſſet. Scilicet animus ille verè ſublimis, verè beneficus, amoris noſtri perpetuò calebat igne, quem accenſum imo pectore cùm teneret; tantò etiam magis declarauit, tantò clariùs patefecit; quantò magis nos in ſilentij tenebras, & vmbram vidit receſſiſſe. Sciebat Academicam verecundiam in petendo, ſuo ſæpiùs incommodo eſſe modeſtiorem: probè perſpectum habebat, tantum eſſe propè innatum Profeſſoribus latendi ſtudium, vt pauculo hoc contenti, ſuâq; patientiâ inuoluti viuere malint; quàm cuiquam importunè, vt ſuæ conſulat tenuitati, ſupplicare: didicerat ſua ipſe experientiâ, animas iſtas nobiliores, ad doctrinam à natura ſubordinatas, dum hoc vnum agunt, vt in Heliconis arduum montem magno niſu aſcendant, cogi ſæpiùs Plutonis ædem præteruehi, nec niſi eam à longè, vixq; ſemihiantibus oculis proſpectare. Ergo tempeſtiuè obuiandum ratus antequam, antiqua hæc Ithaca (Collegium minus intelligo) aſpera quidem & in ſaxis inopiæ pendens, viris tamen non infæcunda, magis adhuc incommoda redderetur; effudit in eam copioſiſſimum benignitatis ſuæ imbrem; vt tantò magis ad publicam vtilitatem ſuorum Profeſſorum indefeſſis laboribus coleretur: iecit ante in hoc plùs quàm Olympicum ſtadium opimas auri glebas; ne poſthac in ipſo curſu, vi extorta earum collectio, celeritatem Profeſſorum ad metam bonæ mentis effuſiſſimè properantium retardaret: impendit nobis ſuas honeſtiſſimè quæſitas facultates; ne ſi ſimul & Palladi, & Plutoni vacare vellemus, pari infelicitate vtriuſq; conſortio excluderemur: id deniq; egit, vt ne, affuſo opportunæ ſuæ munificentiæ oleo, lucernæ iſtæ exſtinguerentur. Arceſilaus nonnunquam (vt doctiſſimus narrat Scriptor Chæronenſis) amico pauperi Apelli Chio, & paupertatem ſuam diſſimulanti, ægro autem & ne hoc quidem confitenti deeſſe ſibi, in ſumptum ad neceſſarios vſus; cùm clàm ſuccurrendum iudicâſſet, puluino eius ignorantis, benè grandem pecuniæ ſummam ſubiecit, vt homo inutiliter verecundus, quod deſiderabat inueniret potiùs, quàm acciperet. Simili animo, ſed maiori inclinatione Illuſtris Nowieyscivs, cùm eſſet prudentiſſimus laboris expenſor literarij, videretq; non parùm Profeſſores animo concidere: quòd ſuæ pacis & felicitatis Auctorem penitùs reperirent nullum: neq; tamen liberet Orationibus ad præſentem fortunam accomodatis, cuiuſquam ſibi animum ad benignitatem expugnare, commemorabili benefaciendi alacritate, & affectu quodam inuſitato exſtimulatus,

tus,

tus, acutiſſimèq; ſubodoratus irrepſiſſe in Muſarum Domicilia neceſſitatem, clandeſtinis inſidijs vſus, ſine vllo ſtrepitu munificentiæ, ſine vllà pompâ verborum, ſine prolixâ ſuæ oſtentatione voluntatis, prius nos beneficij obſtrinxit nexu, priùs libertatem noſtrorum ſuaui gratitudinis iugo ſubmiſit animorum, quàm nos dulci beneficij ſpe, pollicitationeq; blanda demulſiſſet. O quem te Vir Maxime dicemus, aut quo ſub ſymbolo, cum ſtupore tantam munificentiam audituræ poſteritati proponemus. Legimus Ægyptum alendis, augendiſq; ſeminibus iactabundam, proprio ſuo amne Nilo perfuſam, nec alio genere aquarum pingueſcere ſolitam, quàm quas ipſa deuexerat, tantis indui ſegetibus, vt cum feraciſſimis terris, quaſi nunquam ceſſura certet. Famâ conſtanti nec fallenti percipimus, arborem quandam, multiplicis vsûs in Inſulis Maldiuijs naſci, adeò vtilem & fæcundam, vt omne genus alimentorum, omne inſtrumentorum incolis ſuppeditet. Intuemur ipſi ſæpiùs feliciſſima illa ſidera, cæleſti ſemper paſſu circuire mundum, eique laboranti virtute beneficâ, lumine placidiſſimo ſubuenire. Cum iucundiſſimo ſpectaculo noſtris videmus in pomarijs, noſtris ſpectamus in agris, noſtris in pratis conſpicimus, matutinum rorem, ſub primas antelucani ſilentij horas, leniſſimè per omne genus florum, ſeminum, herbarum, arborumq; roridas & humentes diſpenſare gemmas, quibus anteuertens meridiani luminis ſcenam, areſcentibus nouum inſpirat vigorem, nouam celſiùs exſurgendi ſuggerit firmitatem. Sed nec vllus Nilus, ita ſe alacriter ſterilibus infundit terris, vt non aliquando in iniuriam laborioſorum exareſcat colonorum; nec vlla arbor Indica ita ſuis luxuriat fructibus, vt non creberrimè auidam carpentis fruſtretur dexteram; nec vllum ſidus ita ingentes cæli peruadit tractus, & immenſa emetitur ſpatia, vt non ſæpiùs refugiat in tenebras, condatq; diem; nec vllus ros matutinus, ita quamuis profundam ſuo beneficio ſeponit noctem, vt non frequentiùs neceſſitati æſtu conſumptæ terræ deneget ſubſidia, virentiaq; germina relinquat deſtituta. Tibi hæc in ſolidum adſcribenda laus eſt Illuſtris Nowieysci, quòd ita alacriter impotentem, acriter ſe inferentis fortunæ inſolentiam, à nobis auertiſti, vt nunquam nobis niſi fortè extremis Reipublicæ temporibus (quod Diuina gratia, vt ſpe non dubia ſuſtentamur, nunquam eſt permiſſura) violentiam aut ſtragem aliquam ſit allatura. Habes id proprium cum ſplendidiſſimo cæli ocello, fonte luminis inexhauſto, illuſtri lucis feneratore ſole, cuius ſacratum os, etiamſi aliquæ obſcurant nubes, etiamſi aliqui inûbrant vapores, etiamſi aliqui eripiunt conſpectui noſtro imbres: impediunt tamen nunquam; quin non ſuperiores tantùm Orbes ſuis radijs; ſed hunc quoq; infimum ambitum terrarum illuſtret, fructus vberrimos in agris, campis, montibus, aquis, arboribus, metalla in terræ viſceribus augeat & excitet. Ita ſublimis tua mens ad noſtri boni propagationem diuinitùs cælo demiſſa, quantò magis incurrebant multa acerbitatum ſortiſq; aſperrimæ genera, tantò magis contra ea ſtetit inconcuſſa, demiſitq; ſe ex ſummo beneficentiæ faſtigio, vt noſtram tenuitatem ab aſperæ ſortis laceratione, fortiter tueretur.

Iam verò cùm mihi Nowieyscianæ alacritatis, in hoc tam præclaro

facto

facto recordatio venit in mentem, etiam pietas in aspectabilem sponte suâ se conspectum profert; & aliò diuertentem Suadam meam ad se rapit, minora alia relinquere hortatur. Cuius enim & quàm incredibilis, inusitatæq; fuit pietatis, Altricem suam, ex tot impendentium miseriarum flammâ, quātùm in se fuit, humeris suis extulisse. Cuius propè dicam intemperiei amoris, hoc tristissimâ sorte deflagrans Palladium, suis manibus in securo collocâsse. Cuius pientissimæ humanitatis perpetuâ fundatione, è diuturnâ erutos patiendi necessitate, in meliori necessitatum suarum prouisione respirare fecisse, & in refertissimo beneficentiæ suæ promptuario, desertas nostras Musas reposuisse. Potuisset ille minori impendio, suam in charissimam Altricem testari pietatem; potuisset dulcissimos maturæ virtutis & doctrinæ fructus, quos olim in amænissimo IAGELLONIS decerpsisset horto, minori gratitudine rependisse; potuisset Præceptorum suorum fidelitatem, atque assiduas in docendo operas, quibus se ad literarios prouexerant progressus, aliquâ licet non ingenti animi grati significatione retulisse. Immò retulerat iam rependeratq; sufficientissimè: nisi quòd ingenti animo, cùm aliquid ampliùs superesset faciendum, id ipsum quod fecerat leue, exiguum, ac ne æstimandum quidem videbatur. Nam vt à primâ eius Iuuentute incipiam, exorienteq; illo die rationis: vbi primùm in Almæ Vniuersitatis depositus est gremium, insigniq; in literis profectu, sub institutione Clarissimi, & in omni genere scientiarum versatissimi Viri IOANNIS RYBKOWICII, Sac: Theologiæ Doctoris, eam quæ bonum olim Professorem deceret, attigisset doctrinam: illicò suasu eiusdem fidelissimi Præceptoris, vtramq; in artibus ingenuis prensauit obtinuitq; lauream: proposuitq; sibi pulcherrima laboris ACADEMICI exempla, vt ad virtutis exercitium consummatæq; eruditionis materiam, honores illos transferret literatos. Hic verò in illa viuendi statione honestissimâ collocatus, ad instâr operosæ apis, ita ditissimo literatæ amænitatis promptuario, varietate eruditionis, diuersitate inuentionis, multipliciq; elocutionis, venustate fragrantissimo, tam dextrè, tantoq; arcanæ cuiusdam transmutationis successu, ad mirabile illud non mellificij, sed doctrinæ suæ opificium vtebatur: vt dignus ACADEMICI Senatus plenissimo honoris & auctoritatis iudicio fuerit visus, qui mellitos eloquij fauos Iuuentuti Collegij Posnaniensis, cum desiderio degustandos transmitteret. Vbi cùm excellentes incorrupti animi dotes, perpetuo virtutum & meritorum incremento continuaret, annorumq; quinq; curriculo Professor Rhetorices egregium candoris, laboris, eruditionisq; ACADEMICÆ dedisset experimentum: ita Illustrissimi VENCESLAI LESCZYNII, moderni Archiepiscopi Gnesnensis, literarum nostrarum Mœcenatis & Patroni benignissimi, amori inhæsit profundissimè, vt eum potissimùm delegerit, cui veterem generosi sanguinis sobolem, Illustr: PETRVM OPALINIVM Palatinidam Posnaniensem, fidelissimè erudiendum committeret, laudatissimi conatus opus egregium nobilissimum Discipulum, ad publicum Regni commodum perfecturo. Quanquam autem plurima Viro Maximo in externis præsertim Regionibus, vbi exiguo fructu, sed valdè quàm præsenti periculo eruditio inuestigatur, obuersarentur pericula, eâ tamen felicitate, eximiam illam Nobilissimæ Domûs propaginem,

paginem, per dissitas Regiones circumduxit, tantâ dexteritate, quod fidei suæ commissum fuerat exsoluit, quâ quidquid vnquam magnanimo corde aggressus fuit, exitu pulcherrimo visus est confecisse. Redeuntem solenni plausu, complexus Illustrissimus Antistes, gratulari sibi visus est, quòd Nobilissimæ Domûs ingentem fiduciam non alibi securiùs, quàm in ACADEMICI Viri curâ deposuisset; videreq; erat, quantùm illi fauisset, dum magno non virtutum, sed donorum quoq; naturalium satellitio stipatum, & incredibili quâdam grauitate ornatum, multarum peregrinarum linguarum eloquio promptissimum, venustissimâ elegantis naturæ præstantiâ, iudicijq; maturitate spectatissimum, peruigili infractæ mentis vigore ad omnia decoratum, honorifico Magnorum Doctissimorumq; Virorum abundantiâ celeberrimo, Canonicorum Varmiensium Collegio inseruit: ne lampas hæc oleo perenni instructa, splendoreq; radians clarissimo, squalentibus tenebris absq; lumine relinqueretur. Tantis ille sublimis dignitatis fultus præsidijs, cùm iam in luce & aprico omnium versaretur, non eam sibi vitæ rationem ineundam duxit, vt vmbram domesticam, inertibus aut infirmis propriam adamaret: sed eò potiùs euadere studuit, vt multorum oculis obseruatus, in eorum se etiam corda insinuaret: omnemq; rectè factorum occasionem captans, ACADEMICAM integritatem, apud eos quorum in consortio viuebat, defendebat, eiusq; libentissimè patrocinium suscipiebat. Nec defuit profectò opportuna tuendæ nostræ incolumitatis occasio, alienâ obtrectatione optimæ voluntati fomitem subministrante, quam ille igneâ concipiens mente, nostram dignitatem & famæ bonæ præconium, nos etiam non noscentibus personis, nunquam desijt commendare. Quid ergò iam restare videbatur, quod suæ in ACADEMIAM pietati adijci posset: cùm & honestissimâ antipelargiâ, quam ab eâ hauserat eruditionem, eidem in discipulis refunderet, & eius dignitatem honorifici iudicij sensu vbiq; tueretur, minimumque eius periculum, maximo suo periculo auertere fuisset paratissimus. Non tamen hic stetit NOWIEYSCIANA pietas, amplius sibi aliquid præfixit, in quo cognosci sua virtus spectariq; posset: alijs hanc reliquit gratitudinis contestandæ rationem; ipse cum æternitate pari propè gressu niti contendit; cùmque animus sit immortalis, animi autem æterna perfectio literæ sint: id sibi perficiendum cogitauit, quâ ratione suam gratitudinem, cum vniuersitate rerum adæquaret; neq; priùs in Altricem suam pius esse desineret; quàm cùm iam non ampliùs deficientis suisq; conuulsæ è sedib⁹, suis emotæ è receptaculis naturæ fines paterentur. Sic enim secum in animo prudentissimo illo, & multarum virtutum complexo compendium disserebat. Quandoquidem in lautâ satis fortunâ per Diuinam gratiam sum collocatus; nihil mihi magis optandum video; quàm vt maior bonarum artium, virtutumq; omnium hereditas, à me ad posteros transeat, quàm vt agam bonum Patremfamilias, faciamq; ea quæ accepi ampliora. Libet recordari illos Professores, non minùs doctrinæ vbertate, quàm simplicissimæ vitæ innocentiâ memorandos SIGONIOS, OPATOVIOS, VITELLIOS, BLOSIOS, HERCIOS, IANIDłOVIOS, aliosq; insignes & præclaros Viros, qui iam cùm ab hominibus sanctè exijssent, in cœlum recepti, æternis ibidem gaudijs perfruũtur, quorum

 ego

ego cum adhæsissem lateri, cum ab ijs traxi pietatis, eruditionis, modestiæq; succum, quem postea nulli vitæ per diuersa fluctuantis colores immutarunt. Ab ijs primùm omnis mei boni initia profluxerunt, illi mihi hanc lucidissimam rationis sustulerunt facem, ne in hoc lubrico vitæ sæpiùs nonnunquam per deuios ducentis tramites aberrarem: illi ad culmen supremum, intento quasi digito iter demonstrârunt, in quo omnium ingenuarum mercium, omnis eruditionis repositus est thesaurus. Debeo illis has præclarissimas opiniones, menti impressas meæ; quòd dolis atq; fraudibus inaccessum pectus gero, quòd magis dedecus, quàm mortem & cruciatum exhorreo, quòd acerrimè scelera vindico, quòd ad honestatis cultum egregiè sum conformatus. Debeo etiam in parte hanc ipsam meam sortem, quâ bonorum fortunæ non admodum indigeo, quâ tantum mihi video fulgentis metalli circumdatum, vt nullo negotio possim inanes dexteras & sinus laceros indigentium, piâ prodigalitate onerare. Quid igitur est? quandoquidem horum meorum Præceptorum, intelligo minora esse didactra, quàm vt desudantium in bono laboriosos satis abstergant sudores, excellentiaq; eorum opera in publicum eliciant: en me vadem, me sponsorem suæ felicitatis offero; me antesignanum, me prodromum secuturis temporibus consecro, quasiq; signum aliquod attollo ad Rempublicam literariam acriùs, alacriùsque promouendam. Accipite Professores optimi viginti florenorum millia, mensæ vestræ egestatem subleuate, vbi fuerit visum collocate, vsu eorum perpetuis temporibus fruimini: æternum vestrum beneficium in me fuit, æternâ etiam gratitudine illud prosequi cupio: iamq; me felicem arbitrabor, quòd in complexu fundatæ vestræ quietis, ex hoc corporis ergastulo ad illam Patriam, in quâ omnes summi Imperatoris dono manu mittuntur, demigrabo. O Patrem potiùs quàm filium! ô benignitatis admirandæ miraculum magis, quàm exemplum! ô pietatis inauditæ incendium satiùs, quàm flammam! Quis hic vel non stupet præ munificentiâ, vel præ pietate tenerrimo gaudio colliquescit. Solus ne ergò tu fuisti Optime Nowieysci, qui grassantem nostris in Musæis sortis iniquitatem, & infesto sollicitudinum tumultu, nostram quietem intercipientem aduertisti: solus impetum illum, quo velut generoso equo vehebamur ad honesta cespitantem, titubantem, deficientem perspexisti: solus Professores perpetuo Iouis odio vexari, vt ille impius Lucianus non tam iocosè, quàm verè dixit, notâsti, conspexisti: vt illorum commodo tantâ facilitate, tàm hilari animo, tàm leni suauitate, monstrum hoc indigentiæ, ex illorum septis opposito benignitatis vmbone eijceres, exturbares, exterminares; domo eorum, penatibus, foro, luce, congressu, arceres, interdiceres, prohiberes; hocq; Tuæ in carissimam Altricem pietatis, perpetuum exstare velles documentum. Nonnè etiam alij huius Matris copiosissimè vbera suxerunt? nonnè ex his ipsis Musarum domicilijs, eâ præsidia extulerunt, quibus rarissimâ felicitate sellas in Republica curules, & in Ecclesia dignissima loca occupârunt? nonnè alij etiam incommodè satis Musas nostras in Polonia haberi, tractariq; viderunt, agnouerunt. Ita est agnouerunt: sed quemadmodum non omnis tellus eâdem liberalitate reddit semina, quâ accepit; aliquando etiam plenissima coloni

vota

vota ludit, & deludit. Quemadmodum non omnis nubes, eâdem vbertate irriguos humores refundit, quâ vapores ex viſceribus terræ traxit: aliquando etiam abit in nebulas, in ventos diſpergitur. Quemadmodum non omnis cryſtallus, æquâ claritate ſplendidiſſimum ſolis tranſmittit radium quâ excepit: aliquando etiam næuo aliquo, aut maculâ infuſcatur: ita certè alumni huius Matris, non eâdem promptiſſimi animi face lumen hoc augent, quâ illud accenderunt, non eâdem gratiſſimi animi ſignificatione fouent Præceptorum induſtriam, quâ ab ijs multiplicem eruditionis & doctrinæ fructum perceperunt. Non cadit, non inquam cadit in plebeios mores, non in depreſſas naturas, non in vitam cuiuſquam ſuæ vilitati conſepultam, hæc tam excellens, præſtantes doctrinâ viros, Præceptores ſuos fouendi virtus. Singularis quædam excelſa, opus eſt, ſit natura, in ipſo humanæ ſapientiæ vertice, in ipſo culmine prudentiæ conſtituta, quæ agnoſcat probâ inſtitutione omnem publicam, priuatamq; felicitatem contineri. Serpente acutiùs Epidaurio cernat hic oculus, qui intueatur vt ſegetis nimiam non effuſuram ſeſe vbertatem, nec arboris in ſublime ſurrecturam proceritatem; niſi priùs ſemina in ſubacto ſolo iaciantur, crebriq; & irrigui latices radicibus affundantur: ita certè non ſurrecturam adultam virorum virtutumq; propaginem; niſi Præceptor in animatos iſtos agros ſemina ſpargat eruditionis, niſi diuturno vſu & defatigatione exurgētes peſſimæ cōſuetudinis ſpinas exſtirpârit, niſi ſæpiùs latices affuderit admonitionis. Quæ ſolertiſſimi iudicij, quoniam multis negata prærogatiua eſt: & quid mirum eſt, plurimos reperiri; qui Præceptorum ſuorum labores, non æquè magnis rependant prœmijs, cùm ab ijs talia beneficia, curæq; ſibi ab ijs exhibitæ, non ſatis iuſtâ æſtimatione expendantur. Expendit noſter Nowieyscius, atq; ita ſimul rependit, vt ſecuturæ ætati fortâſſis incredibile ſit futurum, exſtinctam omnium propè Mecœnatum, in antiquos ſuos Præceptores humanitatem, ab vno ſuſcitari; redituum noſtrorum etiam feliciſſimis temporibus paucitatem, nunc etiam interitum ab vno compenſari; labentium rerum noſtrarum ruinam, ab vno fulciri; fugientem ex noſtris Muſæis tranquillitatem ab vno ſiſti; totam deniq; noſtram felicitatem ab vno fundari, ab vno inſtaurari, innouari.

Verùm quò maius admirabiliuſq; eſt hoc tuum beneficium, Magne noſter Patrone & Benefactor, eò magis imbecillitatem noſtram in gratificando (iam enim ad vltimā inſtituti mei partē delabor) agnoſcim⁹. Quid enim ſimile tantis beneficijs reperiemus, quo ſe noſtra exſoluat gratitudo? quod tantum reperietur genus pietatis, quo tuam ituram in longiſſimas ætates noſtri Succeſſorumq; noſtrorum paternam curam proſequamur? quæ tanta affectus noſtri filialis conteſtatio poterit cogitari, quæ ſeris etiam duraturam temporibus liberalitatem iſtam, pro dignitate valeat adæquare. Dicam planè, quod ſentio: nihil habuit vel ipſa veneranda antiquitas vſu receptum, conſuetudine confirmatum, Religione ipsâ venerandum, quod hic ei indebitè à nobis conferri poſſit. Quid enim habuit? an laureatas illas ſtatuas in quibus ſuæ reſtitutores quietis, tanquam in viua ac ſpirante imagine, gratiſſimæ poſteritati repræſentabat? Coronandus certè vir iſte laureis omni-

bus, laureatisq; statuis decorandus esset, sub cuius tam eximia protectione, iam veræ laureatis hominibus nascentur laurus, quas nulla sæuientis fortunæ fulmina, nulla fulgura contrectabunt. An gratissima illa defunctis Cenotaphia è viridi structa cespite, in quæ quot annis suauè-olentes iaciebantur rosæ, vberrimæ supplicantium fundebantur lachrymæ, & opiparæ ferebantur epulationes? Augendus & hoc honore esset noster Nowieyscivs, qui mæstissimam à nobis sortem depulit, totq; beneficentiæ sparsit rosas, quot honestè procurandæ sustentationi nostræ impendit nummos. An aras illas clementiæ, amicitiæ, vltioni, liberalitati, fæcunditati, alijsq; nescio quibus titulis quæsitissima adulatione, additis simul imaginibus, Viris illustribus decerni solitas? Et quid quæso non satis rationi conueniens à nobis committeretur, si ad venerandum Benefactorem nostrum aram liberalitati poneremus, quâ omnium in hoc Minus Collegium vicit promptissimas effusiones: aram clementiæ, quâ nostræ indoluit tenuitati: aram amicitiæ, quâ intimo pectore nostris consuluit prospexitq; commodis: aram vltioni, quâ dirum monstrum paupertatem nouus iste Hercules Musagetes, suæ liberalitatis armis vltus est: aram fæcunditati, quâ tot nobis peperit bona, tot exstinxit mala: aram deniq; alijs virtutibus, quas omnes hac vnâ virtute munificentiæ est complexus. An etiam illa æuiterna Trophæa, aspectabiles Pyramides, stupendos Colossos, triumphales Obeliscos? Dignus est æterno Trophæo, qui de victâ asperrimæ sortis malignitate Trophæum erexit immortale. Dignus aspectabili Pyramide, qui tam feliciter nostras strauit ærumnas. Dignus stupendo Colosso, qui effecit ne in destitutâ necessarijs vitâ nostrâ, omnes ingenij functiones, velut in vacuo & arenti solo opimæ segetes, sterilescant. Dignus triumphali Obelisco, cui Musæ nostræ debent, quòd cùm æui inertiâ & iniquitate periclitarentur, eius succursu flammam sæuientem paupertatis euaserunt. An etiam illas magnificentissimas Apotheoses, in quibus emissus è rogi fastigio pauus, nouam animam cælo & sideribus destinatam, in Iouis gremium stultissimâ persuasione deferebat. Neq; non hæc ei tribuenda esset dignatio, cuius hoc egregium in literas meritum, cùm terræ vilitatem transgrediatur, meritò nobis in cælo foret reponendum. Et tamen hæc aliaq; his similia, fidenter dixero, si omnia præstaremus, nondum nostræ gratitudinis lanx, in æquâ iudiciorum trutinâ præponderaret. Saxa, statuæ, aræ, Pyramides, Colossi, Obelisci, vtcunq; prodigioso conatu excurrant in cælum, vtcunq; magnifico sese iactent apparatu, vtcunq; Cyclopum viribus & potentiâ structa videantur, intereunt tamen tempestate, franguntur vi, euanescunt vetustate, cedunt naturæ ad corruptionem properanti, suusq; illa tandem excipit puluis & fauilla. Nowieyscianvm autem beneficium, fundatum ad perennitatem, stabit labentibus sæculis, superabit temporum iniurias, & æquo beneficij circuitu, & viuentes è præsenti, & posteros è futuro, trahens in obligationem, ætatis vtriusq; includet immensitatem, nullisq; annorum cancellis definietur. Ne si niueis quidem lilijs, aut nobilibus Cupressis, suum velaremus eximium Mausoleum aliquid saltem à nobis redderetur æquiualens. Marcescunt enim subitò, defluunt subitò, & delabuntur quæcunq; suis nixa radicibus inhærent terræ. Nowieysciana autem liberalitas

ralitas

ralitas, collata in literas annis triumphabit innumeris, & in canitie deficientis mundi senium non extimescet. Non etiam si magnificentissimâ Apotheosi eius animam redderemus superis, caputq; suum sideribus coronatũ, quod prisca non omisit superstitio, in Iouis gremio locaremus. NOWIEYSCIANA virtus absq; cæcæ superstitionis ambitione, pennato sapientiæ recepta curru, in ipso æternitatis consistit Capitolio: de suoq; consurgens rogo, velut de odoriferâ Phœnicis strue, fruitur iam beatissimâ illa luce, quam nunc per angustissimas siderum vias dum obscurè intuemur, admiramur tamen, & ad illam intimis medullis suspiramus. Quæ sunt igitur nostræ partes in referenda Patri, Patrono & Benefactori nostro, tam promptâ, tam hilari, tam propensâ gratiâ, aut quid à nobis noster recipiet Mæcenas benignissimus? Audire mihi rursum videor è triumphali illo busto, in quo celsior omni tumulo iacet, attollentem sideribus binis simillimos oculos, sicq; nos humanissimo & paterno affectu, alloquentem mitissimũ nostrum NOWIEYSCIVM. Remitto vobis hanc vniuersam me posthumis honoribus prosequendi curam, mei optimi Professores. Nihil me mutum, nihil tacitum, nihil deniq; eiusmodi, quod exquisitam redoleat pompam potest delectare. In animis vestris omnes actiones meas, omnia ornamenta virtutum, monumenta gloriæ, laudis insignia, condi & collocari volo. Tot mihi erectas columnas, tot Pyramides locatas putabo; quot in Palladis Amphitheatro ingenia liberalibus meis impensis formabuntur. Tot mihi aras, tot Mausolea structa censebo; quot à vobis nobiles animæ ingenuâ fideliq; institutione in lucem Patriæ educentur. Tot me sideribus, tot Apotheosibus consecratum existimabo; quot vestrâ operâ nitebunt artes, fulgebunt virtutes, lucebunt labores, splendebunt compositi mores, rutilabunt boni publici promouendi studia, micabunt honestissima exempla, coruscabunt ingenui candoris dotes, quot deniq; virtutes virorum, & virtutum viri scintillabunt, radiabunt.

Hoc agimus NOWIEYSCI Optime, agemusq; quàmdiu Professores, quàmdiu ACADEMICI, quàmdiu homines vixerimus. Priùs nobis hanc vitã, quàm amorem Patriæ, priùs hunc spiritum, quàm fidem instituendæ iuuentutis, priùs hanc auram, quàm laborandi indefessum studium eripi patiemur. Sequemur liberalitatem Tuam ducem Vir Maxime, subq; expanso eius signo obfirmantes gradus, meliùs quàm sub Aiacis Clypeo, dulciùs quàm sub platano Xerxis, securiùs quàm sub ægide Palladis, tutiùs quàm sub Apollinis lauru, cum ignorantia generis humani, cum liuore, cum flagitijs, cum ingentibus vitijs, quæ victores gentium domuerunt, pugnabimus, dimicabimus. Neq; tamen, quandoquidem (nostræ eloquentiæ Parente, cælesti voce proclamante) ex omnibus præmijs virtutis, amplissimum est præmium gloria: eaq; est vna, quæ breuitatem vitæ posteritatis memoriâ consolatur, quæ efficit, vt absentes adsimus, mortui viuamus, cuius gradibus etiam homines in cælum videntur ascendere: Tuam virtutem altâ inobscuratam obliuione relinquemus. Describemus non in parietibus, aut tabulis aliquando perituris; sed in animis pectoribusq; nostris, hanc Tuam tam oculatam prudentiam, tam promptam alacritatem, tam profusam pietatem, tam stupendam beneficentiam. Pingemus imaginem liberalitatis Tuæ, sculpemus Idêam

 bonita-

bonitatis, incidemus profundè simulacrum inauditæ munificentiæ, non in chartis aut libris, non in saxis aut lapidibus; sed in sermonibus, in recordatione posterorum, in publica prædicatione: ne priùs Tui memoria exolescat, quàm ipsa in se obuersæ, ruentisq; naturæ compago dissoluatur. Viues & viues, vt iam cæpisti, non cum hoc corpore caduco, fluxo, perituro; sed in fastis æternitatis, in fama hominum, quæ vita cum hoc Orbe, ac cum omni æuo terminatur. Id vnum est, quod tanto beneficio rependere possumus, æquare gratiam neq; possumus, neq; Tua esset si possemus. Reliquum est, vt te DEVS Optime Maxime, literarum nostrarum Vindex, Stator, Defensor, à cuius omnipotenti bonitate, velut de magnifico & exuberanti fonte, sparsus est in nos, nihil tale sperantes, aut opinantes, hic NOWIEYSCIANÆ liberalitatis riuus, precemur, obsecremusq;: vt quoniam hunc nobis Optimum Patronum & Benefactorem, propè extremis nostris rebus, Vicarium tuæ benignitatis submisisti, ipse illi rependas gratiam: ipse prout instinctum dedisti; sic pijs eius succurras votis, sic ardentissimis satisfacias desiderijs, sique aliquâ ope humanâ indiget, opem benignissimus ipse largiaris. Pollicitus es viuæ vocis Oraculo, per tuum Sapientem: Esto misericors vt Pater, & eris tu velut Filius Altissimi. Patrem nos illum agnoscimus, Patrem prædicamus; effice, vt & ille tuus sit filius, tecumq; in felicissimâ illâ, tot singultibus expetitâ Patriâ, quiete dulcissimâ, visioneq; beatissimâ, quæ omnes nostros absorbebit dolores, perfruatur. ACADEMIÆ verò Tuæ, nobisq; eius Professoribus, quos ad hanc laboriosam vocâsti Spartam, da voluntatem, da vires, da facultatem, vt quoniam inter tot aduersa impugnantium molimina, adhuc stamus, adhuc singulari tuâ protectione iuuamur, defendimur, conseruamur: omnia quoq; studia occupationesq; nostras, perreni nexu, & ex debito, æternùm non dissoluendo, vilissima tua mancipia, tibi dedicemus, consecremus.

D I X I.

IESV Christo, Beatissimæ Virgini Matri, totiq; Cælorum Curiæ, sit Gratia & Gloria.

BIBLIOTH: UNIV. JAGELLONICAE

J. XIX. 34.

Biblioteka Jagiellońska
stdr0012901